

Letter 220a: 9 October 1524, Mulhouse, Nicolaus Prugner to Capito

A copy of this letter is in Speyer, Landesbibliothekszenrum Rheinland-Pfalz/Pfälzische Landesbibliothek, Hs. 412, f. 39r–v.

Gratia et pax a Deo Patre. Dedi ante duos, nisi fallor, menses ad te litteras, quibus animi mei tibi patefeci consilium; quare precor, optime Capito, in Christo Iesu, si me iuvare poteris, sive Argentorati sit, sive ubivis gentium, ubi bene audit verbum, conditionem ut habeam. Nescio quid discordiae semper superseminat $\eta\omega$ ille pessimus, ut et vitae necessariis egeam tandem, quo consilio nunc demum in me utitur absque publica impetitione. Vide, mi Fabrici, quid non effecerim ego. Coegi in summam nuper (ita senatui tum videbatur) doctrinae meae rationem, et ut significantius fieret, in articulos redegī, responsurus, rationemque redditurus omni poscenti, idque praefixa die, nihilque subterfugi, quod optimum quemque decebat. Sed quid dicam? Nosti, quid moliantur Helvetii, mihiq̄ue intentatur indies malum. Habes animum, nam prae maerore singula scribere non datur. Sperabam, melius habita disputatione auditurum verbum, sed quid non tandem efficit suus quisque privatus commodus? Rogo, et iam altera vice, si locus esset, qui vacaret, praedicantis, ubi ubi esset, velles mei esse memor, vel, uti semel petii, adhortationis quidpiam ad Mulhusenses scriberes, quo constantiores essent in verbo adceptando, retinendo, conservandoque, paucis rem agere poteris. Ceterum ex te scire cupio, quid apud vos agatur; qui vivat Provincialis ille blatero et verbi hostis, qua conditione liber sit, nam liberum esse dudum percepi, ut audiat verbum, ut incrementum sumat, ut fructificet, ut demum omnia fiunt. Desume tibi tantum otii amici gratia, et fac quod peto, et vale, optime Fabrici, et me ama. D[e] Mulhus[i]o]. VIII Octobris anno gratiae MDXXIII.

Vellem et hoc tuum iudicium scire, quomodo placeret Arbitrium Erasmi in Lutherum, nam doctis aliquot non placere scio. Saluta Hedionem meo nomine et ceteros fratres. Salutat te Iohannes Osvaldus, archigrammateus noster. Haec in sinum tuum effusa sint. Πάλιν ἔρρωσο σὺν γυναικὸς τῆς σῆς. Properanter admodum.

N.P.